

*is intelligentia inserviet? Sed & pater erat, & filius natus est. Ne dixeris quando, sed prateras hanc questionem. Ne inquisieris quomodo: impossibilis enim est responsio, nam quando, temporale est: quomodo autem, lapsum inducit ad corporales modos. Habeo quod dicam ex Scriptura. Quod velut splendor à Majestate, & velut imago ab exemplari. Sed tamen quandoquidem ratiocinatio per hujusmodi responsiones ac sermones tuam curiositatem non sedat, ad arcanum majestatis confugio, & confiteor nullis ratiocinationibus animo concipi posse, & humanis verbis inexplicabilem esse divinae nativitatibus modum. Ne dicas: Si natus est, non erat; neque verborum maleficio mentes inexpertas corripe, talibus exemplis veritatem corrumpens, & Theologiam scedans. Quæ de æterna filii generatione a beato Patre pie & prudenter dicta sunt, ad plures quæstiones Theologicas merito extendimus, quarum similis est ratio. Nec mirum, si in mysteriis divinis non capiamus quomodo res sese habeat, vel quomodo res sit imaginationi præsentanda, in rebus enim Mathematicis res quasdam habemus, quarum veritatem cognoscimus, earum vero rationes, vel quomodo id fiat, non imaginamur. V.g. in Elemens de Geometrie de Mons. le Duc de Bourgogne p. 38. demonstratur: per spatium inter lineam tangentem & circulum infinitas posse duci circumferentias sese tantum unico puncto tangentes. Ex quo apparet, spatium infinite parvum, dividi in spatia infinite parva, quod quidem demonstratur, sed nullo modo imaginationi sistitur. Unde optime infertur, humanum intellectum veritatis cujusdam esse posse convictum, quamvis confiteri oporteat ejusdem infirmitatem, si quæsieris, quomodo res illa sit possibilis? Recte subjicit Autor p. 39. *C'est à nous souvenir de nôtre condition. Rien ne seroit plus deraisonnable, que de vouloir nier des verités dont nous sommes convaincus; d'ailleurs parceque nous n'en comprenons pas la liaison.**

6013-